



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Die Mercurii: De puritate vitae & castitate in Sacerdote maximè requisita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

otio, aut negotiis secularibus vacans, neglit operam impendere utili studio, & lectioni Sacra, quibus se, & alios perficiat. Sicut enim Calix consecratus non debet usibus profanis, sed tantum Sacris impendi, sic multo magis Sacerdos per Ordines Sacros divino obsequio consecratus, debet se totum studiis, & rebus Sacris, & proximorum salutis impendere.

Hic considerat, in particulari examinabis, quantum curam & studium adhibeas, ut his dotibus præfulgas, & satis facias officio Sacerdotis aut Pastoris, cuius severa ratio à te exigitur in hora mortis brevi ad futura, quando sera nimis erit emendatio. Nunc igitur necessariò faciendum est, quod tunc à te factum fuisse optabis. Deinde, per colloquium cum Deo, ad vitæ emendationem gratia humiliter postulanda est.

DIE M A R T I S.

De Charitate ad imitationem Christi Sacerdoti necessaria.

P Ostatulat gratiā ad imitandum Christum tanquam tuum Dicem, Regem, ac Magistrum, imaginare illum summā charitate peragrandem pagos & villas instar optimi Pastoris, ut oves perditas querat, & ad viam salutis adducat.

Considera primò, Sacerdotem nulla magis virtute, quam charitate debere flagrare, tum quia fides, spes, aliisque virtutes ad iustitiam, teste Apoft. I. Cor. 13, sine illa non prosunt; tum quia officium Sacerdotis vel Pastoris, tam ratione potestatis Ordinis, ut dignè conficiat & administret Sacramenta, quam Jurisdictionis, quatenus curam animalium habet, id omnino postulat. 2. Nota, typum hujus gessisse veteris Testamenti Sacerdotes, quorum functio erat ignem sacram quotidie in altari fovere, *Luc. 6.* Quid enim aliud ignis ille designabat, nisi sacram Eucharistiam, Deum & hominem sub specie panis & vini continentem? *Deus autem ignis consumens est,* *Deut. 4.* qualem ignem Sacerdotes non solum quotidie conservant, sed etiam conficiunt. Deinde vestiti esse debent coco bis tincto, ut indicaretur Sacerdotem debere duplice charitate flagrare, in Deum scilicet, & proximum.

2. Considera, Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, *Psal. 109.* cuius vices obeunt omnes Sacerdotes nostri in consecrando Corpore Christi, dum ajunt. *Hoc est corpus meum,* maximè declarans charitatem erga nos, cum instituit Apostolos in Sacerdotes. Nam B. Joannes in *cap. 12.* de extrema Cœna aëcturus præmittit, quod *in finem duxit illos.* Deinde ex mero in eos amore instituit S. Eucharistiam, id est, excogitavit modum, quo perpetuò nobis eum realiter maneret. Ad hæc longum habuit sermonem de novo mandato charitatis. Postremò, ex nimio amore sanguinem suum pro nobis profudit. Attende quomodo imiteris: qualem charitatem Christo retribuas; an magis lucra, quæ animas queras.

3. Considera, quod Christus instituens Principem Sacerdotum & Pastorum Petrum, de charitate tantum eum percunctatus est, *Joan. 21.* *Simon diligis me plus bis?* Et ille tantum respondit: *Domine, tu sis quia amo te.* Christus verò, *Paſce oves meas,* indicans ad pascendas doctrinæ & exemplo oves, & gubernandam Ecclesiam maximè opus esse ardentem charitatem in Deum & proximum. Veri sequidem Pastoris est, *Luc. 15.* ovem perditam requiri, & inventam, relictis licet 99. ovibus humeris

R. P. Ardeck, Tom. III.

sulbatam in ovile portare. Ejusdem est adveniente lupo, & persecutione exortâ, non cum mercenario, qui non est Pastor, fugere, sed animam ponere pro ovibus, *Joan. 10.* Jesus est cognoscere omnes oves, casque exemplo vitæ præcedere, efficere que ut se, suamque doctrinam & vitam sequantur, quod non facile impetrabit, nisi multis beneficijs, & amoris indicis eas sibi devinciat, ac tandem ritibus Ecclesiæ, tanquam clavis coelesti, regnum cælorum illis aperiat.

Hic in particulari circa hujus charitatis actus se examinabit, & nova circa eam proposta Christo Domino, Sponso, Regi, ac supremo Pastori ardenter offeret.

NOTA, excitandum affectum speciale erga alios animarum Curatores, ac præsertim omnium Ordinum viros Religiosos.

Consideret Religiosos illos non esse aspernandos ex eo quod humilem vita statum ex imitatione & concilio Chisti amplexi sunt, sed potius inde erga illos præ aliis majori veneracionem concipiatur, quod inde omnes saceruli Res & Spes deferuerint, eorumque pios conatus ad Dei gloriam promovere studeant. Consideret quam (præ se) præcellenti in statu forent illorum innumeris à doctrina, dotibus, parentela, gratia, virtute, si se omnes illi Clero seculari addixissent: & quæcum multos nunc illis fruentes, ubique ab Ecclesiasticis beneficiis, officiis, & dignitatibus exclusissent; qui illis concurrentibus ad ea minime pervenissent.

Ex altera verò parte, expendat Religiosus, se non debere cum Clerico seculari contendere, cum amore Christi illum amplexus sit statum in quo potius illum decet cum Clericis, aliisque pro novissimo loco concertare. Utinam hæc documenta in aliquorum animos altè descendenter, quod cederet in multo majorem Fidelium adificationem.

DIE MERCURII.

De Puritate vite & Castritate in Sacerdote maximè requisita.

1. Considera, si veteris Testamenti Sacerdotes toto tempore, quo ministrabant tabernaculo, à domo & uxore abesse tenebantur (ministrabant enim per vices) quanto magis novi Testamenti Sacerdotes, quinon per vices, sed semper ministrant, debent à conjugio & omni consuetudine feminarum, & omni impuritate abstinere. Deinde si Abimelech Sacerdos *I. Reg. 21.* noluit Davidi famelico dare panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset eum ab uxore aliquamdiu se continuuisse: & si idem populo faciendum fuit, *Exod. 19.* cum esset legem à Deo accepturus: Quanto magis convenit Sacerdotes nostros ab omni feminarum contubernio alienos esse, quibus quotidie in Sacrificio Missæ corpus Domini, per panes propositionis præfiguratum, non solum sumendum, sed etiam conficiendum, manusve tractandum est. Considera, D. Paulum *I. Cor. 7.* docere eos qui uxorem habent, sollicitos esse, quæ sunt mundi, ut placeant uxori, & ideo esse divisos, id est, in multis solitudinum partes, ut exponit Hieronymus, distractos; qui autem non habent, cogitare quæ Domini sunt, ut sint sancti corpore & spiritu. Unde consequens est Sacerdotes soli Deo adhædere debere, ut cogirent quæ Domini sunt, & sint sancti corpore, & spiritu.

2. Considera, puritatem animi & corporis, non solum à divinis Scripturis, sed etiam ab omnibus Conciliis, Patribus & Doctoribus, eamque non vulgarem, in Sa-

S 2 cerdo-

D I E J O V I S.

Praxis Brevis.

Devotè Missam celebrandi.

PRO dispositione remota, hæc inter alia à S. Carlo & Synodo Mediolanensi salubriter instituta & commendata reperiuntur. 1. Ut Sacerdotes quo priores ad divinam rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata sua confiteantur, etiamq; graviora non occurant. 2. Ut antequam celebrent le colligant, & orantes mentem in tanti mysterii cogitatione defigant. 3. Ut sacræ vestibus induiti cum nemine colloquuntur, neque loquentibus dent aures, menterique & oculos ab omnibus amoveant, quibus distracti poscent.

Gregorius XIII. Pontifex concedit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationem Missæ, quæ sequuntur, 50. annorum indulgentiam.

Ego volo celebrare Missam, & confidere Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi justa Ritu S. Romana Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totu[m]q[ue] e[st]riumphans; ad utilitatem meam, siveq[ue] curia militantis, pro omnibus qui se commendaverint orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu S. Romana Ecclesiæ: Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vita, fratrum vere paenitentia, gratiam & consolationem S. Spiritu, perseveraniam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Potestea Sacerdotalia sumens vestimenta. Ad Amulum, recordaberis illius fasciæ, quâ Jesu Christi fuerint velati oculi. Ad Albam, albi indumenta, quo stulti ad infatuit fuit illusus. Ad Cingulum, funium, quibus tam in horro, quam ad columnam fui ligatus. Ad Casulam, recordare purpureæ vestis, quâ ut fictus Rex illatus fuit, & stude te Christo conformatre.

Accedendo ad Altare, reminisceris Domini, quando Cruce humeris impositâ, perirexit ad montem Calvarię, ut ibi Crucifixus.

1. Ad Altaria descendens gradum, antequam facias sanctam ordinaris Missam, tuam ad Deum elevabis mentem; ac denudò aeterno Patri hoc offeres Sacrificium, in unionem immensi illius amoris, quo unigenitus eius Filius semetipsum obtulit in atra Crucis.

2. Incipies Missam voce mediocriter alta, pie, distingue, & non multum festinanter pronunciando verbis, observando ceremonias tempori congruas, cum gravitate, devotione, & circumstantiæ ædificatione: ut in Rubricis Missalis annotata sunt.

Ad Gloria in excelsis, excitandus est affectus ad offerendum Deo Sacrificium laudis, ejusque gloriam pro viribus promovendam.

Ad Prefationem, mens iterum sursum elevanda est ad novam intentionem, & offerendum Sacrificium Eucharisticum ardentissimæ affectu gratitudinis, cum omnibus Angelis & Sanctis, in celo & in terra.

Hic affectus in toto Canonе continuandus est, cum attenta ejus lectio, non recitatione de memoria.

3. In primo Memento, præter tuas obligaciones, viarias poteris Domino commendare necessitates, per hebdomadam sequenti modo distributas,

Dominicā, Summum Pontificem, omnes Ecclesiæ Cah-

cerdotibus postulari, idque multis de causis. 1. Quia sanctissimum Missæ Sacrificium, quo nihil augustius, crebrius peragere, in coquæ purissimum Domini Corpus ore suo consecrare, & manibus tractare, aliisq; porrigerere debent. 2. Quia assidue orationi & sacrarum Horarum lectioni, quæ mentem puram, tranquillam & in Deum elevatam requirent, vacare tenentur. 3. Item alios prædicatione, & sanctæ vite exemplo ad omnem virtutem & perfectionem inflammare debent. 4. Quia debent magnam partem temporis impendere oviibus suis, vel subditis erudiendis, & in viam rediendis, ac si ægris sint, invilendis, solandis & pascendis, pauperibus item juvandis, peregrinis recipiendis, Sacramentis variis administrandis: quæ omnia sanè requirent hominem non solum ab uxore & liberis, sed etiam omnium negotiorum secularium curâ liberissimum. Unde Apostolus 2. Tim. 2. Nemo, inquit, militans Deo, implicatus est negotiis secularibus.

3. Considera, Sacerdotem, si castitatem inviolatam non servet, multò gravius peccare, quam peccent in eodem genere homines secularares. Primo, quia sacrificium commitit: Si quis templum Dei violaverit, inquit Apostolus 1. Cor. 3. diffideret illum Deus. At quis templum Dei sanctum, & Deo consecratum proprius est, nisi Sacerdos, toties per varios ordinis iunctus, & vices Dei & Angelorum subiens? 2. Quia violat votum calixatis ipsa ordinis fusceptione factum. 3. Quia summo scandalio est bonis & malis, imo & vilissimi hominibus: quod scandalum tantum hoc saeculo est, ut causam dederit tot hæresibus. 4. Quia si in statu hujus peccati celebreret, aliaque Sacra menta administraret, Christum suo modo crucifigisset, Christo quasi in faciem spuit, Christum cum Juda prodit, quadammodo concusat, & in cloacam proicit. Quid enim aliud est os Sacerdotis impudici aut concubinarii, quid aliud ejus anima, vel cor, quam cloaca foeditissima? Quid est margaritas projicere ante porcos, si hoc non est, cum impudicus Sacerdos audet celebrare, & purissimum Dei, ac Virginis filium manibus contrectare?

Hic examinanda est conscientia, & formanda proposita firmissima, vitandi in particulari occasiones, quæ possint puritati nocere, & adhibendi remedia, quæ contra luxuriam assignavimus supra part. 2. cap. 6, in fine. Quæ omnia confirmari poterunt sequenti ad Deum Protestatione, quæ à multis puritatis amatoribus quotidie, & præsertim occurrente tentatione, usurpari solet.

Ego N.N. Dei & Domini mei Jesu gratia & misericordia frutus. Tibi me fisto Deus cordis mei, quem ubique præsentem agnoscere & venerare; & coram purissima Matre tua & mea, coram Angelo meo tutelari, & omni Curia coelesti, protestor velle me hodie, & quotidie Tibi mundo corde servire, & fugere quidquid inquinare puritatem potest. Mori malo quam fœdari, quam turpi motu vel delectationi scienter causare, vel consentire, ne momento quidem. Tu cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Da perficere, qui dedisti velle. Hoc iterum iterumque Te, Bone Jesu, supplex, per Sanguinem tuum, mortem & passionem rogo: Et te Patrona mea Virgo Maria, nullâ unquam labe inquinata. Et vos omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro me, ut aliquando vobissem possum sequi Agnum purissimum quocunque ierit, tunc & in æternum. Amen.